

melior datur occasio sine impedimento serviendi Domino.

§. 46.

Resp. I. Disting. inter *Cælibatum Apostolicum heroicum, & Papisticum fictitium* : de suo cœlibatu loquitur Apostolus: non vero de Pontificiorum. *Resp.* II. Disting. inter tempora prima & novissima : Primis temporibus, propter universalem Evangelii prædicationem, omnino matrimonium impedimenta ministerio ferebat ; sed hodiè, quando curatis Ecclesiis ministri præsent, impedimenta talia locum invenire nequeunt. *Resp.* III. Conjugium est status divinitus ordinatus : jam, qui vivit in conjugio, vel ordine divino, is eâ ratione DEO dicitur adhærere.

§. 47.

Denique subsidium desperatæ causæ quærunt in loco (quem tamen miserè corrumpunt) *Apocal. 14. vers. 3. & 4. Cantant quasi canticum novum, quod nemo poterat discere. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt conquinati : Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocunque ierit, sine maculâ enim sunt ante thronum DEI.*

§. 48.

Resp. Annon hoc est Conjugium vocare immundum? Impurum? Non sanctum? Nam si cœlebs est, qui non est coïnquinatus cum mulieribus, & cœlebs hic opponitur conjugato, quod utrumque sentiunt adversarii : Ergo, conjugatus est, qui coïnquinatur cum mulieribus : quicquid enim de oppositorum uno, quâ opponuntur, negatur, affirmandum est de altero, ex regula Logicorum:
judi-